

www.e-rara.ch

Dialogorum Platonis argumenta

Tiedemann, Dieterich

Biponti, MDCCCLXXXVI [1786]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Crito.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

tem solatur, primus eius auctor videtur Plato, idque Epicurei deinde in suos transtulerunt hortos.

C R I T O.

PRIDIE illius diei, quo redituram a Delo navem conciebat Crito, Socratem convenit in carcere, ut summo ei studio persuaderet, fugam esse capessendam; corrumpere enim se se custodes facile posse: esse autem festinandum, quod, simul navis redierit, mors ipsi sit oppetenda. quamdiu enim aberat navis sacra, publice interficere neminem Athenis licebat. Haec ut refutet Socrates, & Critoni demonstraret, recte se se & ex officio suo facere, his utitur argumentis: Nunquam alii est parendum, quam rationi; vulgi opinio parvi contra pendenda, & id semper sequendum, quod probatur ab eo, qui iusta & iniusta optime intelligit, quodque veritas ipsa iubet; corporis autem hac in re ratio nulla habenda: quod enim laeditur & corruptitur iniustitia, praestantius est corpore. Porro vivere ipsum nunquam est anteponendum vitae recte aetae. cumque bene vivere nihil sit aliud, quam honeste ac iuste vivere; id unum restat inquirendum, utrum iustum sit ac honestum, me, invitatis Atheniensibus, hinc abire. Cetera omnia, quae de subeunda morte, de liberis meis educandis, a Critone affebantur, insuper sunt habenda: omnia enim nobis sunt patienda potius, quam iniusti quidquam in nos admittamus. Quae de honesto hic memorantur, alibi uberius a Platone exponuntur, ubi commodius de iis differetur. Quod autem omni iniuriae vitam esse postponendam existimat, id arctioribus circumscribi limitibus par est. sunt enim nonnullae iniuriae adeo exiguae, ut vita earum vitandarum causa non videatur dimitenda, praesertim si invitus & reluctans ad eas accesseris; idque iuris naturae doctores hodie largiuntur omnes, necessitatem ultimam legibus derogare docendo.

Platonis Argumenta.

B

Hinc porro infert noster, iniuriam nemiri esse inferendam, quique iniuria nos afficit, ei reddi iniuriam non debere; quin & qui male nobis fecit, ei malum non esse retribuendum, cum male hominibus facere, sit idem quod eos laedere. Iam autem leges & civitas laeduntur, si quis a civitate damnatus, effugere poenam nititur, eoque ipso leges reddere irritas conatur. Quae iniuria quo appareat major, reputandum quoque, legum beneficio civem unumquemque & genitum esse, & eductum, omniaque, quae habet, accepisse; legibus porro civitatis fese victurum tacite promisisse: quae nisi placuissent, migrare ei e civitate licuisset. Patri porro aut domino, si iurgiis aut verberibus teneat, cum par pari non liceat referre: multo minus legibus, etiam si duri quid in nos consulant, est refragandum. Accedit, quod qui contra leges fugit, ab iis etiam, ad quos se confert, non potest non contemni, quod cognatis & affiniis relictis bonorum aut vitae periculum creat; quod denique fuga, eorum, qui iure eum affirmant damnatum, opinioni, robur videtur afferre.

Duo in hac quaestione, probe inter se distinguenda, quorum alterum ad ius, alterum pertinet ad philosophiam mortum, a Platone confunduntur. Primo enim loco quaerendum est, utrum per iniuriam damnatus, si fuga sibi consulat, in ius naturae peccet? Quod quo efficiat, fundamenti loco substernit Plato, iniuriam iniuria non esse referendam: at latere hic ambiguitatem non animadvertis. Verum est omnino, non licere iniuste in eum agere, qui iniuria nos afficit; sed falsum, par pari non debere referri: qui enim mali quid ab alio passus contra ius fasque, tantundem ipsi mali retribuit, iure agit. Quare qui per iniuriam damnatus, adeoque legibus invitis, fuga poenam paevertitur, iniuriam a legibus sibi illatam referens, iniuste non agit. Praeclare tamen monet Plato, legibus civitatum ideo parentum, quod pacto quodam tacito ita convenerit: quo ipso ius iam praelusit, quae multis seculis post ab Hobbesio, aliisque iuris publici doctoribus, uberius sunt declarata. Nulla

ante Platonem huius pacti fit mentio. Quod autem attinet ad alterum, utrum, qui damnatus e carcere fugit, recte sibi consulat, & quod iubet philosophia morum, optimum eligat? Socratem recte quidem fecisse, quae ab eo afferuntur argumenta docent; imitari autem id omnes debere, non efficiunt. Fieri enim omnino potest, ut sibi aliquis hoc modo prospiciens, magno deinde generi humano sit emolumento, utque in eum nihil redundet eorum, quae sibi suisque Socrates timebat, incommodorum.

P H A E D O.

MULTA sunt in hoc dialogo ex intimis philosophiae Platonicae recessibus de prompta, quaeque philosophis serioribus, nostra adhuc aetate, amplam tam disputandi, quam multa etiam & mira addendi, quin & Platoni multa affingendi, materiam praebuerunt; adeoque inter dignissimos notatu, immo, si ad id respicias, quod praecipue agit Plato, inter praefantissimos est dialogos referendus. Echecrates, quaenam eo die, quo venenum hausit Socrates, in carcere sint gesta, ex Phaedone postquam quae sivit; rem is omnem exponit, inter alia autem, rogasse Cebetem, ut, quidnam Eveno, saepius de carminibus quibusdam a se compositis quaerenti, responderet, Socrates sibi aperiret. Cui Socrates: somnio frequenter uno eodemque musicam tractare iussus ut obtemperarem, poësin attigi: haec refer Eveno, simulque eum, si sapit, sequi me iube. Hinc apparet, (praesertim si praeter alia, & quae in Critone de somniis a Socrate afferuntur, in animum revocemus) divini aliquid somniis sive ipsum, sive Platonem tribuisse: id quod infra ad Daemonas, a quibus somniorum repetit originem, refert. Quam difficile est, viros etiam sapientes, infantiae nationisque praeiudicia exuere! Cum obscurum esset, quod